

RECAP

2837
.8635
.3

2837
.8635
.3

QUAESTIONES

TULLIANAE.

SCRIPSIT

GUILIELMUS REIN

GERANUS

DOCTOR PHILOSOPHIAE.

LIPSIAE

IN COMMISSIS K. F. KOEHLERI.

1832.

(RECAP)

2837
8635
.3

Digitized by Google

CIC. DE REPVBL. II, 22, 39.

Nunc rationem videtis esse talem, ut equitum centuriae cum sex suffragiis, et prima classis, addita centuria, quae ad summum usum urbis fabris tignariis est data, LXXXVIIII centurias habeat: quibus ex centum quatuor centuriis (tot enim reliquae sunt) octo solae si accesserunt, confecta est vis populi universa: reliquaque multo maior multitudo sex et nonaginta centuriarum neque excluderetur suffragiis, ne superbum esset, nec valeret nimis, ne esset periculosum.

Hic locus quanto opere summos criticos vexaverit, verbis aequiparare non possumus. Tantum enim abest, ut difficultates, quibus eius interpretatio impedita est, Virorum Celeberrimorum et ingenio et doctrina insignium opera iam prorsus expeditae sint, ut nullus reperiatur, in quo plus obscuritatis atque dubitationis resideat, ita ut haud sciam, an in iis sit numerandus, quos nisi nova ex integumentis suis evolvantur adiumenta, nunquam restitutum iri veri simillimum est. In quo restituendo priusquam ipsi periculum faciamus, aliorum suspiciones et explicationes exquirendae sunt ac ponderandae. Nec vero Niebuhrii, cuius divinis et immortalibus meritis neque invidia neque offensio timendae sunt, priorem alteramve sententiam, neque Reisigii, Burchardi, Franckii suspiciones exponere aut refellere in animo est, cum egregie id factum sit a Goettlingio (Hermes Tom. XXVI). Eorum tantum, qui postea hunc locum aggressi sunt, facienda est mentio. Primum igitur me converto ad

Digitized by Google

Goettlingium ipsum, magistrum meum, cuius nomen dum vivam grata memoria prosequar. Qui cum primus et fere unus h. l. res nocte offusas in lucem protulerit, hunc potissimum secutus ducem, in nonnullis tamen ab eo discedendum esse arbitratus sum. In censura autem illa (Herm. XXVI. p. 97.) locum sic emendat

> — *ut cum VI suffragiis prima classis addita centuria, quae ad summum usum urbis fabris tignariis est data, LXXXVII centurias habeat, quibus ex XCIV centuriis, tot enim reliquae sunt, IV solae si accesserunt, confecta — reliquaque multo maior multitudo XC. centuriarum* etc.

Deletis igitur verbis *equitum centuriae* tanquam glossa, item *et* post *suffragiis*, scribendum censet XCIV pro CIV, cum propter praecedens *EX* X omissum sit, VIII autem et IIII facile commutari potuisse. Hanc vero emendationem, licet scripturae ratione egregie commendetur, probare non possum. Primum enim non placet, equitum centuriarum plane non fieri mentionem, quae cum VI suffragia et altera centuriarum XCVI pars commemorentur, omitti non potuerunt, neque satis probatum est, glossatori deberi haec verba. Ex Goettlingii sententia probare vult Cicero, suffragia in divitum fuisse potestate, ita ut ordinum nobilitatem non respiciens XII equitum centurias omittere et VI suffragia ad primam adnumerare posset classem. Quam rationem, quae per se cogitari potest, num habuerit Cicero, vehementer dubito, cum verbis proximis, quibus ut confirmaret sententiam suam usus est Goettlingius, contrarium probetur. *Ex omni populo — reliquum populum . . . curavitque, quod semper in re publica tenendum est, ne plurimum valeant plurimi. Quae descriptio* etc. et quae sequuntur *confecta est vis populi universa* et *sex et nonaginta cent.* Haec verba nonne totius populi continent descriptionem? Nonne ad vim populi universam equites patricii pertinent? Multitudini opponit locupletes i. e. assiduos, ad discrimen inter patricios et divites non respiciens, id quod fit ex

Goettlingii coniectura. Immo haec demonstrat Cicero: ne plurimum valerent plurimi curasse Servium Tullium, — ad locupletes autem pertinent etiam equites, qui non ex plurimis, sed ex ditioribus separati sunt ipso Cicerone teste, cuius verba initio capitis haec sunt *duodeviginti* (cent. equitum) *censu maximo*. Sed ne apta quidem videtur, si historiae rationem habeas, ea quae e Goettlingii coniectura Ciceroni obtruditur sententia: hac enim probata vis populi universa efficitur, ad primam classem si aliae accesserint secundae classis centuriae. Neminem autem fugit, perraro tantum classem secundam tulisse suffragia (Liv. I, 43. Dionys. Hal. IV, 20), cum apud equites VI suffragiis additis et primam classem, i. e. apud eos qui opulentissimi essent, summam fuisse vim scriptores testentur. Qui igitur Cicero rationem proponere poterat, quae re vera vix locum haberet? Aliud argumentum non leve ad infirmandam Goettlingii sententiam ex ea quam ille statuit equitum divisione peti potest. VI suffragia plebeiorum esse contendit et cum prima classe coniungit; quodsi vero haec suffragia patriciorum fuisse demonstrari potest, eos cum prima classe non coniungendos, XII autem centurias, utpote plebeiorum, a prima classe separandas non esse facile concedetur. Qua occasione oblata non possum non paucis disputare de hac dissensione, „utrum sex suffragia eae sint equitum centuriae, quae ex tribubus antiquissimis factae ob generis nobilitatem, eoque quod primae fuissent, hoc habuerint praecipuum, ut seorsim a ceteris peculiari nomine sex suffragiorum appellarentur, XII autem equitum centuriae eae sint, quae a Servio Tullio praeter illas sex sint scriptae," ut Niebuhrius, an sex suffragia plebeiorum sint equitum, XII centuriae autem ex tribubus antiquis factae, ut Goettlingius contendit et qui eum sequitur Muhlertus (in dissertatione inaugurali, de equitibus Romanis, Hildesiae). Quam quidem

Digitized by Google

litem tantum abest, ut componere velim, ut ea tantum quae mihi videantur facere contra Goettlingium, aperte dicam, cum negari non possit, Niebuhrii sententiam (Histor. Roman. Tom. I pag. 480) quibus commendetur plura habere, quanquam ab ipso non defendatur et in pluribus ab illo sit discedendum. Goettlingius totam rem sic se habere censet:

III	centuriae	a Romulo	institutae	CCC	equites
III	—	a Tullo Hostilio	—	—	—
VI	—	a Tarquinio	—	DC	—
VI	suffragia	a Servio Tullio	addita	DC	—
XVIII	centuriae			MDCCC	equites.

ad quam confirmandam Livio usus est teste, rationem vero qua id fecit rectam esse mihi non persuasit, quod ne temere dixisse videar, accuratius demonstrare atque rem ab initio repetere opus est. Romulum tres equitum centurias ex numero triginta curiarum instituisse eosque Ramnes Tities Luceres appellasse omnes consentiunt. (De numero fuerintne in centuria trecenti, an ducenti, an centum, cum iam nemo dubitet nihil est quod addam.) Deinde Tullum Hostilium decem equitum turmas ex Albanis legisse tradit Livius I, 30. Quae cum Varrone teste (ling. lat. IV, 6.) CCC equitum numerum efficiant, tres novas centurias factas esse contendit Goettlingius coniecturamque proposuit de collegiis equitum. Quae quanquam summo ingenii acumine inventa sunt, tamen cum neque Livii neque alius cuiusdam scriptoris probentur testimonio, difficiliora sunt probatu. Huc accedit, quod haec in collegia (*ναυκραρίας*) divisio rei publicae, quae modo sata erat, non apte tribui videtur (cf. C. F. Hermanni antiquitatt. Graec. §. 99. pag. 186). Nec cogitare possum, hoc tantum loco vocabulum *turma* ad describendam rationem temere usurpasse Livium, alioquin voce *centuria* usum. Propterea nisi fallor *turmas* appellavit ut, cum exploratum haberet Tullum Hostilium duplicasse equitum numerum in tribus centuriis, prohiberet,

Digitized by Google

ne quis crederet centuriarum numerum esse auctum. Fortasse significat, Tullum Hostilium eum fuisse, qui cum novos adderet equites, primus centurias in turmas describeret. De auctis centuriis eum non cogitasse perspicitur ex ipsius verbis I, 36: *Tarquinius, equitem maxime suis deesse viribus ratus, ad Ramnes, Tities, Luceres, quas centurias Romulus scripserat, addere alias constituit suoque insignes relinquere nomine. Id — negare Attus Navius neque mutari, neque novum constitui, nisi aves addixissent, posse*, et eodem capite: *Neque tum Tarquinius de equitum centuriis quidquam mutavit: numero alterum tantum adiecit, ut mille et ducenti equites in tribus centuriis essent. Posteriores modo sub iisdem nominibus, qui additi erant appellati sunt: quas nunc quia geminatae sunt, sex vocant centurias. Centuria* voce utitur, cum institutum militare respiciat, et si plures recipiuntur in tribus, equitum quoque numerum in centuriis augeri consequitur. Ne vero cum Goettlingio *tribus centuriis* pro tribus tribubus dictum esse credas, vetat vocabuli *centuria* repetitio, quod num diverso sensu accipi possit in una enuntiatione vehementer dubito. Livii sententia haec est „MCC equitum exortus est numerus, cum alteram partem ex plebeiis addidisset Tarquinius, qui *posteriores* nominabantur, quanquam iisdem erant tribubus s. centuriis; postea autem sex vocabantur centuriae i. e. post Servium Tullium, qui has tres oenturias in VI suffragia descripsit veteres illas geminans s. duplicans.“ Quam rationem si accipiamus, optime intelligi potest Livii sententia de Servii Tullii instituto I, 43: *equitum ex primoribus civitatis duodecim scripsit centurias. Sex item alias centurias, tribus ab Romulo institutis, sub iisdem, quibus inauguratae erant nominibus fecit.* H. l. ut probaret sententiam suam Goettlingius, verba *tribus ab Romulo institutis sub iisdem quibus inauguratae erant nominibus* quae olim transponenda censuerat post *scripsit centurias*, nunc deleri iussit in censura de Niebuhrii libro (Annal. Berolin. 1830. Tom. II pag. 318.), quae con-

iectura ne nimis audax sit, vehementer vereor, praesertim cum non intelligatur, quomodo praepositionis ante *tribus* defectus recentiori tempori haec deberi declaret, neque probari possit, cur haec enuntiatio intrusa aut quomodo ex verbis cap. 36. *quas nunc quia geminatae sunt, sex vocant centurias* orta sit, quod suspicatur Goettlingius. Ne discrimen quidem video, quod inter *scripsit* et *fecit* statuendum esse coniecit, ita ut illud de antiqua, hoc de nova institutione usurpatum sit. Miscuisse Livium haec verba neque in talibus tanto opere fuisse accuratum probant ipsius verba I, 13 *conscripsit equitum centurias* de nova institutione. Item I, 30 *quas Romulus scripserat.* In universum autem exercitum licet novum *scribi* dicebant Romani. Huc accedit, quod vocabulum *ex primoribus civitatis* non de patriciis solum intelligi debet, sed in universum de opulentis, quod demonstrant verba eiusdem capitis *sed gradus facti, ut neque exclusus quisquam suffragio videretur, et vis omnis penes primores civitatis esset.* Exemplorum numerus facile potest augeri, cf. L. X, 6 *certamen iniectum inter primores civitatis patricios plebeiosque.* II, 1. primores equestris gradus in senatum leguntur (patricii autem iam insunt) et XXIII, 12. XXV, 16. VII, 8. Eodem modo *proceres* VII, 16; *principes* VI, 18 de plebe usurpatur. Non magis facio cum Muhlerto, neque ubi dicit (pag. 11.) „primores esse patricios censui non subiectos“ neque ubi Livii locum transpositione illa sanatum esse censet, cum non verisimile sit, centurias quae iam antea fuissent, tot verbis *ex primoribus civitatis duodecim scripsit centurias, tribus ab Romulo institutis, sub iisdem quibus inauguratae erant nominibus*, descriptas esse a Livio, novas autem tam breviter significatas: *sex item alias fecit.* Nonne praestat ea quae praebent codices, explicare ita: „Servius Tullius ex opulentissimis duodecim equitum fecit centurias, sex item alias descripsit patricias, cum iam tres a Romulo institutae essent sub iisdem nominibus.“ Livius autem satis accurate versatus est h. l.,

Digitized by Google

cum quae ante narrasset, lectori in memoriam revocaret.

Quare Goettlingii sententiam ex Livio non video probatam, neque Ciceronis verba (de republ. II, 20) XII. centurias ante Servium Tullium fuisse declarant, nam hic quoque locus de equitum numero aucto exponit, de centuriis intelligi non potest: *nec potuit Titiensium et Ramnensium et Lucerum mutare cum cuperet nomina; quod auctor ei summa augur gloria Attius Navius non erat... Sed tamen prioribus equitum partibus secundis additis M ac CC fecit equites, numerumque duplicavit, postquam bello subegit Aequorum magnam gentem.* Tarquinio novas centurias addere iisque nomina dare volenti cum non liceret, numerum duplicavit in tribus centuriis. Nec ullo modo de duplici equitum duplicatione cogitavit Cicero, sed paullo negligentius versatus est in verbis „*numerumque duplicavit.*“ *Prioribus partibus secundis additis* idem est, quod Livius dixerat *posteriores dicti sunt.* Apparet igitur, Romanos admodum credulos novas addere centurias ad tres antiquas nefas putasse, numero aucto non offensos esse. Etiam ad hoc attendendum est, si XII. centurias fuisse statuamus, nominibus equitum summam effici difficultatem, nam tertii et quarti Ramnes, Tities, Luceres essent statuendi, cum auctor optimus quisque de primis et secundis tantum tradat. Transeo ad alium testem, Festum dico, apud quem v. *sex suffragia* haec leguntur: *sex suffragia appellantur in equitum centuriis, quae sunt adiectae ei numero centuriarum, quas Priscus Tarquinius rex constituit.* De cuius libri auctoritate, epitomes tempore posteriore compositae eiusque corruptissimae, si quis dubitat, non reprehendendus est. Ipso hoc nostro loco *adiectae* mera est coniectura pro *adfectae*, quod vario modo emendari potest. Fortasse *fectae* recte se habet praepositione tantum corrupta; quid? si legatur *effectae e?* tum bene procedunt omnia nobisque favent. Et hoc loco, et illo v. *sex Vestae sacerdotes* tantum abest, ut Goettlingii probetur ratio, ut nostrae fidem faciant. Nam cum scri-

bat *sex Vestae sacerdotes constitutae sunt, ut populus pro sua quaque parte haberet ministram sacrorum, quia civitas Romana in sex est distributa partes, in primos secundosque Titienses, Ramnes, Luceres,*" sex patriciorum fuisse partes testatur, quibus sex suffragia respondisse veri simillimum est. De quo si quis dubitat, quaerimus ex eo, quomodo nomina Ramnensium Titiensium Lucerum primorum et secundorum distribui potuerint in duodecim centurias: ad quae nemo facile respondebit. Quod attinet ad Varronis verba (ling. lat. V, 14) *magistri equitum summa fuit potestas in equites et accensos,* ubi accensos VI suffragia s. equites plebeios esse existimant, equidem cum neque alio loco occurrat neque aptum videatur hoc nomen, non assentior. Fortasse accensi iidem erant qui equites ferentarii, quorum Varro mentionem facit VII, 3. cf. etiam Festum s. v. adscripticii. Inermes sequebantur exercitum atque in mortuorum locum substituebantur. Hactenus testimonia. Quae Muhlertus disputat (pag. 11.) fieri non potuisse, ut plebeii equites duplici centuriarum numero praestiterint patriciis, tantum non faciunt, ut plures quam VI patriciorum centurias fuisse statuamus; nam ut fuerint XII patriciorum, nihilo plus valuerunt, si prima classis non accederet. In tanta igitur plebeiorum multitudine perinde erat, utrum VI an XII suffragia haberent patricii. Fortasse etiam ad hoc attendendum est, patriciis, cum multa haberent, quae maximam in comitia vim iis tribuerent, VI centuriarum numerum gratissimum esse potuisse, quod commodis non ademptis, incommoda quippe in bellis gerendis minus sentirent, quam XII plebeiorum. Quae cum ita sint, non quidem nego, rationem a Goettlingio excogitatam egregiam esse et magno opere laudandam, sed ingenue dico et profiteor, quanquam verendum est, ne in arrogantiae crimen incurram, nullum afferri posse testimonium, quo aperte probetur. Itaque dum nova reperiantur adiumenta, non possum non incertam hanc habere, illam autem sequi sententiam, quae colligitur ex

Digitized by Google

Livii aliisque locis modo examinatis: **ante Servium Tullium non plures quam tres fuisse equitum centurias, licet et Tullius Hostilius et Tarquinius Priscus auxerint equitum numerum, Servium Tullium autem ex tribus antiquis descripsisse sex et XII adiecisse ex plebeiis ditioribus lectas.** XII igitur centurias cum prima classe coniungo, neque vero sex suffragia. Hac ratione explicari potest Liv. XXXXIII, 16 *quum ex duodecim centuriis equitum octo censorem condemnassent, multaeque aliae primae classis, extemplo principes civitatis — vestem mutarunt.* VI suffragia Livius non commemorat, cum per se pateat, patricios non condemnasse Claudium, XII autem recte coniunguntur cum prima classe.

Quae cum ita sint, relicta Goettlingii coniectura transeo ad Niebuhrium, qui in Historiae Romanae ab se conscriptae Tom. I. p. 500 (edit. tert.) novis argumentis emendationem suam probat atque verba *decem et octo* omittenda censet. Cuius quidem emendatio haec est

> — *ut prima classis addita centuria quae ad summum usum urbis fabris tignariis est data, LXXXI centurias habeat, quibus ex CXIV centuriis, tot enim reliquae sunt, equitum centuriae cum VI suffragiis solae si accesserunt* etc.

quam ab ea potissimum parte commendari putat, quod corruptela quomodo orta sit, monstrari possit. Ciceronis enim lectorem aliquem, quo melius locum intelligeret, verba *decem et octo* ad marginem scripsisse putat, deinde librarium verba *equitum centuriae cum sex suffragiis decem et* omisisse atque ad marginem explevisse, alium vero librarium haec verba non apto loco in textum recepisse post *talem ut*, ita ut nunc textus omni intellectu carens sic se habuerit

> — *ut equitum centuriae cum sex suffragiis X et prima classis addita c. q. a. s. u. u. f. t. e. d. LXXXI c. h. q. e. CXIV c. tot enim reliquae sunt octo solae si accesserunt* etc.

Digitized by Google

Tum emendatorem quendam ad hunc locum accessisse atque ut intelligi posset mutasse CXIV in CIV, cum XCVI + VIII efficerent CIV, *octo* loco suo non mutasse, verbum *decem* post *suffragiis* delevisse, cum sensum non praeberet. Sic ortum esse LXXXVIIII, cum numerum illum VIII cum LXXXI coniungeret. Speciosa sane coniectura atque digna Niebuhrio diligentissimo acutissimoque antiquitatis investigatore! Sed num vera sit iam est quaerendum accuratiusque ponderandum. Antea tamen paulum sistendum mihi est atque ad liquidum perducenda illa opinio CXCV fuisse centurias, quod contra omnium scriptorum auctoritatem statuit Niebuhrius. Hic autem et qui eum sequuntur, eo praecipue illud niti opinantur, quod Livius et Dionysius, si centurias singulatim numeremus, dissentiant. Atque ut CXCV centuriarum numerus prodeat, post quintam classem suffragium tulisse censent accensos, velatos, liticines, cornicines, proletarios, capite censos, fabros, eamque rationem instituunt, ut prima classis cum equitibus XCVIII centurias contineat et sic unâ reliquas superet classes, quae XC centurias, additis vero accensis, velatis, liticinibus, cornicinibus, proletariis, capite censis et fabris XCVII contineant. Quam quidem coniecturam Niebuhrius ita probare studet, ut neque Livium neque Dionysium centuriarum descriptionem ex commentariis regiis cognitam habuisse contendat, sed utrumque imperfecta potius ac discrepantia testimonia secutum esse, nec Ciceronem quidem ex illo antiquo genuinoque fonte hausisse, cum hoc doctrinae genus ab eo fuerit alienissimum. In hisce tamen horum scriptorum erroribus nihil inesse debere offensionis, cum de prisco instituto et iam dudum obsoleto sermo sit. Ex Niebuhrii sententia tota procincta peditum classis divisa fuit in assiduos sive locupletes atque proletarios. Illos complecti quinque primas classes additis accensis velatisque, quos proletarii et capite censi sequantur. Contendit autem, accensos plus habuisse quam septem millia assium, velatos minus quam septem millia ad bis mille et quingen-

tos asses. Ne vero quis miretur coniuncta semper eorum nomina appellari, recordandum esse, veteres Romanorum scriptores, praesertim cum solemnibus formulis uterentur, duarum rerum quae ad se invicem pertinerent, nomina iungere solitos esse, veluti empti venditi, socii Latini, Prisci Latini etc. Tali modo etiam accensi velati dictum esse, quod sine dubio in exercitu unam manum efficerent. Assiduorum nomini oppositum esse nomen proletariorum et capite censorum. Testem autem laudat Ciceronem de republ. II, qui cap. 22 dicat: *quin etiam accensis velatis, liticinibus, cornicinibus, proletariis* * * *, ubi Ciceronem dixisse credit, proletarios et capite censos duas fuisse centurias atque suffragium tulisse post accensos velatos.

Optime sane haec ratio procederet, si veteres consentirent testes, a quibus prorsus alia istis de rebus tradi demonstrabimus. Videamus igitur primum, num Livii et Dionysii dissensionem nullam esse ostendere possimus. Tota autem res sic se habet: XVIII equitum centurias secuta est prima classis LXXX centuriarum, quibus Livio teste adiectae erant duae fabrorum centuriae, Cicerone teste una tantum. Secunda classis habet XX centurias, quibus Dionysius duas fabrorum addit centurias. Eundem centuriarum numerum habuit classis tertia et quarta, XXX vero fuerunt quintae classis, cui praeterea a Livio tres adduntur tubicinum, cornicinum, accensorum centuriae, cum a Dionysio duae tantummodo tubicinum cornicinumque, et quidem quartae classi adnumerentur. Omnes reliqui cives, immunes a vectigalibus, in una centuria, quam sextam classem nominare possis, suffragium tulerunt. Apud Livium igitur CXCIV, apud Dionysium CXCIII centuriarum prodit numerus, aut si demas imam classem, apud utrumque CXCII. Eaque certa et vera esse, in quibus uterque consentiat, nemo negabit. Est autem de una tantum accensorum centuria reliqua dissensio. Apud Livium enim (I, 43) absoluta paene classium descriptione haec

Digitized by Google

verba leguntur: *Quinta classis aucta, centuriae XXX factae; fundas lapidesque missiles hi secum gerebant, in his adcensi, cornicines tubicinesque in III centurias distributi.* Quae verba aut ex obscura librarii diligentia, aut ex errore Livii profecta esse, iam ex eo colligi posse puto, quod CXCIV par numerus est, neque pro Servii Tullii sapientia cogitari potest, ex aequo centuriarum numero constitisse censum. Facillime enim fieri potuit, ut paria suffragia in utramque partem ferrentur. Quae cum cogitarem, egregie mihi placuit coniectura Sigonii, qui distinctione post *accensi* deleta II pro III scribendum esse censet. (Perizonii enim suspicione *in* delentis supersedere possumus, cum hoc ipsum *in* tam soloece positum fontes antiquos, quos describeret, ante oculos habuisse Livium mihi probet. Fortasse comparandus est hic usus cum constructione verborum *numerari, adnumerari,* quae cum *in* et ablativo eodem sensu coniunguntur.) Nuper vero Goettlingius aliam mecum communicavit sententiam, Livium cum rationem militarem tantummodo ante oculos haberet, accensos et capite censos pro diversis habuisse, iisque singulas tribuisse centurias: accensis, cum post rorarios locum haberent in acie, capite censis, ut qui immunes essent militia, Liv. VIII, 8. (Aperte vero falsa sunt, quae dicit Paul. Diacon. excerpt. ex libr. Pomp. Fest. s. v. adscripticii „accensos ab aliis dictos esse rorarios.") Rationem militarem a Livio spectari negari non potest, cum ipse dicat *inde una centuria facta est immunis militia* (id quod non cadit in accensos), neque vero minus etiam ad institutum civile respexit, cum dicat *hoc minor census reliquam multitudinem habuit,* ita ut Livius negligenter versari videatur propterea quod rationem militarem cum suffragiorum ratione coniunxerit. Re ipsa utrumque ita cohaerebat, ut ne posset quidem discerni, nam comitia in campo Martio i. e. institutum civile, nihilominus classis procincta appellata sunt. Utramque autem rationem coniungere voluisse Livium ex eo apparet, quod praeter arma cuiusque classis etiam

Digitized by Google

centuriarum numerum addit. (Cf. etiam verba Livii I, 42 sub fin. cap.) Quodsi rationem militarem solam curaret, centurias omittere poterat, contra si suffragia tantum respiceret, de armis dicere non opus erat. Utrumque autem etiam in sexta classe respexit, nam eum fugere non potuit, suffragiorum ratione habita sextam classem unam tantum efficere centuriam: ratione autem militari discernendi erant capite censi ab accensis velatis, proletarios omittere potuit, quos inter et accensos velatos ratione militari discrimen non esset. In universum autem neque in rebus publicis neque militaribus describendis satis fuisse accuratum saepissimeque aut inscitia aut errore falsa dedisse Livium, quis est qui nesciat, ita ut ne hoc quoque loco iusto iniquius de eo iudicaverimus, non sit verendum. Cf. Lachmann de fontibus Livii pag. 106 et saepius. Quae ratio si accipiatur, Dionysius et Livius optime congruunt de CXCIII centuriarum numero, qui etiam ipso corrupto nostro Ciceronis loco demonstratur. Nam vocabula *sex et nonaginta centuriarum* bis repetita hunc ipsum centuriarum numerum ab altera centuriarum parte una superari aperte significant. Niebuhrius quidem dicit, Ciceronem nominasse etiam duas proletariorum et capite censorum centurias in verbis deperditis *quin etiam* cet., nec tamen video, cur coniectura huic rei adhibeatur, quam Gellii et Festi testimonia satis illustrant, quibus usus Goettlingius (Hermes p. 99) sextae classis censum optime exposuit. Illo autem Festi loco s. v. *quintana classis*, ut probaret proletariorum et accensorum in seniores et iuniores divisionem, uti non debebat, nam valde mancus est plurimaque verba mera Ursini coniectura sunt restituta. Egregie autem probat, duo vocabula *accensi velati* non esse separanda et sic locum explet (in censura de Niebuhrio in Annal. Berolin. acta) *quin etiam accensis velatis, liticinibus, cornicinibus, proletariis ... capite censis ita prospexit, ut eorum suffragatio pro ratione rei militaris valeret,* quae nihil aliud significant quam hoc: ita prospexit, ut accensi plus valerent, quam

Digitized by Google

proletarii et proletarii plus quam capite censi, quamvis omnes unum tantummodo haberent suffragium. Facillime fieri potuit, immo veri simile est factum esse, ut inter hos pauperes et in censendo et in suffragando idem discrimen esset ac in re militari. Tres enim ordines cum suffragium singulatim tulissent, unum confectum est commune suffragium, ad quod conficiendum accensi velati plus valuerunt, quam capite censi. Cornicines autem et tubicines nominat, cum ratione militari postremum obtineant locum (Dionys. Hal. Ant. IV, 4) iuxta accensos. Quae cum ita sint, non est cur coniecturas sequamur summoque iure contendendum esse existimo CXCIII fuisse centurias. Nec ullo modo Niebuhrii emendatio nostro Ciceronis loco, a quo orta est haec disputatio, ferri potest, quippe cum omnia mutanda essent, si ex eius emendatione ad CXCV numeros revocare vellemus. Sed ut fuerint CXCV, Niebuhrii coniectura non magis accipienda est. In hoc enim numero vis populi conficiebatur XCVIII centuriis, quibus XCVII oppositae essent. Niebuhrius autem cum alteri parti XCIX tribuerit, alteri XCVI, vehementer laboramus. Nemo enim videt, cur fabri primae classi attribuantur, cum iam sine illa equitum centuriae cum prima classe XCVIII centurias confecerint. Neque vocabulum *solae* hac ratione est ferendum, quod tum demum stare potest, si unâ centuria altera pars vincat alteram. Aut vocabulum *solae*, aut si hoc nollet, *fabrorum centuriam* omittere debebat Niebuhrius. Quorum si neutrum omitti posse existimaret, coniecturam ita constituere debebat, ut ex equitum centuriis XVII sufficerent ad vim populi conficiendam.

His absolutis accedo ad Orellium, qui nimia religione nimiaque codicum manuscriptorum admiratione ne litterula quidem mutata hanc profert explicationem:

Digitized by Google

Equitum centuriae sc. tres i. e. Ramnes, Tities, Luceres primi ac posteriores (Liv. I, 30. 36.) tria suffragia habentes . .	Cent. III
cum sex suffragiis (ex Festi testimonio)	— VI
et prima classis addita fabrorum centuria	— LXXX
LXXXVIIII centurias habeat, . .	LXXXIX
quibus ex CIV centuriis VIII solae si accesserunt	VIII
confecta est vis populi universa . . .	LXXXXVII
reliquaque multo maior multitudo . .	LXXXXVI
	Cent. CXCIII.

Profecto nimium periculum Orellius fecit in vulgata defendenda et prolixior fuit iusto in explicatione hac invenienda. Cui enim persuadeat, equitum centurias IX suffragia habuisse (loci, quos attulit ex Livio, Tullii Hostilii et Tarquinii Prisci spectant equites, ad mutationem per Servium Tullium, quam hic curare debebat, non pertinent), vel quis credat fabros primae classi ita subiungendos, ut extra comitia centuriae nomen habuissent, in ipsis autem comitiis habendis commisti essent cum octoginta primae classis centuriis? Hanc difficultatem unicam esse dicit Orellius, sed multo maiora obstant. Non enim cogitavit, hanc rationem proponenti deesse XI centurias — nam CLXXXII efficiuntur centuriae — et nos ipsum sequentes egere consilio et consolatione. Nam cum ad alias inveniendas sit confugiendum, unde petantur non video, neque quibus fulciantur argumentis. Quod Orellius animum induxisse non videtur, hunc locum calculis tantum expediens.

Accedo ad Henricum Zachariaeum, qui nostro loco mederi conatus tum in centuriis dividendis tum in Ciceronis loco restituendo novam ingressus est viam. CXCIII centuriarum numerum unice verum esse contra Niebuhrium recte contendit, sed rationem, qua hunc numerum explet, vix cuiquam probabilem reddet. Eo audaciae progressus est, ut quae auctores pro firmis haberent at-

Digitized by Google

que certis, mutaret, alia autem inferret minus certa. Fabris, quorum duas fuisse centurias Livius assentiente Dionysio tradit, unam tribuit, utrumque errasse contendens, Ciceronem esse, qui verum statuerit, unam tantum esse. Negari quidem non potest, apud Ciceronem unam tantum laudari, nec tamen inde efficitur, non fuisse plures, quam hanc unam. Id enim certum est, ad primam classem Ciceronem addidisse alteram fabrorum centuriam, alteram secundae attribuisse; nam cum videret ab aliis fabros in prima classe numerari, ab aliis in secunda, neutram sententiam secutus, in utraque suffragia tulisse, alteram cum prima, alteram cum secunda, sibi informavit. Sed transeo ad aliud, quod commentus est Zachariaeus, *accensorum* dico centuriam, quam posuit pro altera fabrorum centuria, Livio I, 43 usus teste. Quam coniecturam ut refellamus non opus est, cum iam supra de hoc loco verba fecerimus; facile quidem est, novas fingere centurias, probare difficilius, quod omisit Zachariaeus. Quod ad nostrum locum attinet, primae manus vestigia respiciens sic scribi vult

> — *ut equitum certamine cum VI suffragiis prima classis addita c. q. a. s. u. u. f. t. e. d. LXXXVII centurias habeat, quibus ex CVI centuriis, tot enim reliquae sunt, X solae si accesserunt* rell.

Sed nescio an hac emendatione pessumdederit Ciceronis sententiam. Ex hac enim mutatione certaminis inter equites patricios et plebeios exemplo videtur probasse, equites etsi maiore parte populi suffulcirentur, tamen a prima classe et sex suffragiis facile superari potuisse. De tali vero exemplo sermo esse non potuit, cum et quae praecesserint et quae sequantur declarent, in universum qua conficiatur vis populi, describi rationem. Neque video, cur necesse fuerit, ut equitibus patriciis prima, plebeiis autem reliquae assentirentur classes. Numeri autem Zachariaei, in quos ipse incidi, digni sunt, qui respiciantur, dummodo aliter constituatur loci sententia.

Digitized by Google

Exemplis autem quibus probari putat VI suffragia post primam classem suffragia tulisse (quod voluerat Niebuhrius: Nachricht v. d. Comitien d. Cent. p. 15.), ita ut a scriptore omitti possent, nihil probat. De loco enim ex Cic. Phil. II, 33 vehementer errat, cum de comitiis centuriatis post mutationem illam a. u. 513 factam agatur, neque vocabulum *suffragia* de VI suffragiis intelligi possit. (Cf. Goettlingium Herm. et Kahntii Animadverss. critt. in nonnullos locos Tullianos, Cizae 1829. p. 6. 7. qui sanasse quidem locum videtur, in eo tamen lapsus, quod discrimine Servii Tullii comitia inter et ea, quae post a. u. 513. instituta sunt, neglecto, Livium et Dionysium de primae classis centuriarum numero errasse iudicat. Id enim ex corrupto Ciceronis loco coniicere non licuit.) Neque vero etiam Liv. XLIII, 16 neque I, 53 faciunt ad sententiam Zachariaei firmandam.

Restat Zumptii explicatio, quam ne iusto gravius notasse videar, totam describam. Apud Cic. in Verrem V, 15, 38 verba haec sunt: *Tu cum esses praetor renuntiatus quoquo modo (mitto enim et praetereo, quid tum sit actum), sed cum esses renuntiatus, ut dixi, non ipsa praeconis voce excitatus es, qui te toties seniorum iuniorumque centuriis illo honore affici pronuntiavit, ut hoc putares, aliquam reipublicae partem tibi creditam*, ad quae Zumptius (p. 853 edit. suae) adnotavit: „*totiens.* Quotiens igitur? Minimum septies et nonagies, siquidem populi universi centuriae sunt centum nonaginta tres. Quarum equites Romani habent duodeviginti, singulae tribus quinque pariter divisas inter iuniores senioresque. Vocantur autem tribus per aetatem (vid. Liv. XXVI, 22) et per classes (cf. Cic. Philipp. II, 33): nimirum utravis aetas cum centurias duas semis habeat, sola prima classis ex iis unam centuriam habet, reliquae quatuor vel quinque (?) unam semis; totius igitur populi prima classis septuaginta centurias. Hinc illud est, quod Cicero docet de rep. II, 22, si ad primam classem adiungantur equites Romani et cen-

turia fabrorum (de tribubus urbanis dempta, ut opinor), quibus undenonaginta centuriae fiunt, non opus esse ex reliquo populo nisi octo solis centuriis, ut tota vis populi conficiatur. Sunt enim septem et nonaginta centuriae, i. e. maior pars populi. I nunc et quaerere locum illum desperatum esse."

Vereor autem, ne Ciceronis locus, licet graviter laboret, integrior tamen sit minusque scruposus, quam haec Zumptii explicatio. Vir enim cum multis scriptis, tum hac quoque Verrinarum oratt. editione de Cicerone et universa latinitate meritissimus hoc in loco negligentius versatus esse videtur. Namque oblitum esse crediderim Zumptium, Servii Tullii plane aliam esse institutionem atque illam post a. u. DXIII factam, hanc vero significari Verrinarum loco, illam in libro de republ. Quodsi discrimen inter utriusque generis comitia reputasset, CXCIII centurias etiam post illam mutationem fuisse non dixisset, neque LXX centurias primae Servii Tullii classi attribuisset. Neque minus erravit in divisione, quae post a. u. DXIII facta est, describenda, in qua eodem modo lapsus est ac Nicol. Gruchius (Graev. Thesaur. I, p. 601) et Franckius (in libro de tribuum, curiarum atque centuriarum ratione), quorum neuter meminit, hanc institutionem factam esse, ut magistratuum electio fieret *εἰς τὸ δημοτικώτερον* (Dion. Hal. IV, 21). Ipsam mutationem describere non in animo est, cuius qui accuratiorem cupiat expositionem, adeat Goettlingii commentationem (Herm. VI.), id tantum monendum est, post illud tempus (excepto perduellionis iudicio) neque XVIII equitum centurias neque fabrorum centuriam amplius commemorari, secundam autem, tertiam, quartam quintamque classem paria suffragia habuisse ac primam. Quae de hisce Zumptius disputat, quis est qui credat? Utramque enim divisionem ita confudit et miscuit, ut quomodo nos expediamus, vix dici possit.

Quae cum ita sint aliique coniecturas coniecturis superstruant, alii vero vulgatam nimis anxie defendentes

Digitized by Google

ne sententiam quidem recte assecuti esse videantur, etiam meam quamvis levissimam sententiam in medium proferre non dubito. Cum primum ad nostrum locum accessissem, quam Niebuhrius in explicando secutus est rationem, prae omnibus mihi placuit. Diligentius tamen hanc rem investiganti mihi suspicantique esse quaedam speciosiora quam veriora, persuasum est, sententiam quidem, quam Niebuhrius proposuerat, rectam esse, neque aliter locum accipi posse, rationem qua corruptum crediderit locum, etiamsi minus difficilis esset atque impedita, non posse non refutari. Duplex igitur via patere visa est, altera ut omnia pro veris accipiantur atque Ciceronis negligentiae, altera ut omnia librariorum obscurae diligentiae tribuantur. Illud quam esset iniustum, cum nullum aliud apud Ciceronem inveniatur istiusmodi erroris exemplum, per se apparebat; itaque non amplius dubitabam, nostrum locum Cicerone indignum et librorum quasi maculam ex librarii cuiusdam ingenio non ita egregio profectam iudicare. Esse libros manuscriptos, qui temporum iniuria aliisque casibus singulorum locorum fecerint iacturam, esse libros, ubi illi qui periissent loci ac numeri, singulari quodam infortunio vexati librariorum manu seriore expleti sint, neminem fugit. Ad quos nostrum pertinere locum existimem, ita ut librarius ad nostrum perveniens locum, ubi vestigia veteris genuinaeque scripturae obscurissima dignosci non possent, — veteris autem codicis vestigia fuisse non satis perspicua eo apparet, quod secundae manus adest scriptura, quae explicatum habet nullum — proprio Marte numerum centuriarum dividendi faceret periculum, XCVII reliquarum XCVI numero opponens, et restitueret qualem nunc habemus locum. XCVII centurias ab eo positas esse contendo, tum quod XCVI centuriarum numerum codice bis confirmatum videret, tum quod putaret rationi esse aptissimum, alteram centuriarum partem unâ vicisse alteram. In codice autem haec nisi fallor certa legebat et integra

Digitized by Google

et prima classis add. c. q. a. s. u. u. f. t. e. d. . . . . centurias habeat, quibus ex . . . centuriis (tot enim reliquae sunt) . . solae si access. rell.

Verba autem *equites* et *sex suffragia* quo loco posita fuerint in eodem ἀρχετύπῳ pro certo firmare non audeo, id vero certum est, locum non habuisse eum, quem in vulgata tenent; fortasse separandi sunt ita, ut XII equitum centuriae cum prima classe ferant suffragia. Quod si probatur, haec prodit lectio fortasse a vero non plane aliena

ut equitum centuriae et prima classis add. c. q. a. s. u. u. f. t. e. d. LXXXXIII centurias habeat, quibus ex centum (tot enim reliquae sunt) quatuor solae si access.

Librarius sub numero LXXXXIII, qui bene distingui non poterat (fortasse sic scriptum erat: LXXX·III), propter similitudinem LXXXVIIII latere putabat, opinans (ut Orellius) equitum centurias cum sex suffragiis novem suffragia habuisse. Qua de causa etiam *cum sex suffragiis* adiecit. In linea sequente ad numerum *centum* ex versu posteriore *quatuor* revocavit, cum hi numeri separati intellectum non praeberent, in unum coniuncti optime congruerent cum numero LXXXVIIII. Numerum *octo* autem ante *solae* adiecit, quem ab alio librario indocto omissum esse putaret. His ita mutatis illi numeros tantum spectanti omnia bene habere videbantur et scriptura orta est talis, qualem hodie praebent editiones.

Quae nostra coniectura efficitur sententia, tam facilis est explicatu, ut ne verbum quidem addendum sit; Cicero enim dicit: summam vim fuisse penes opulentissimos i. e. primam classem et duodecim equitum centurias, quibus ad vim conficiendam quatuor defuisse centurias. Addere quidem potuit, sex suffragia plerumque cum his consensisse, sed cum fieri potuerit, ut patricii diversa suffragia ferrent, incertum relinquit.

Si quis est, qui *sex suffragia* nec delenda nec ab equitum centuriis separanda esse censeat, huic tale quid scribendum est

Digitized by Google

ut prima classis addita c. q. a. s. u. u. f. t. e. d. LXXXI centurias habeat: quibus ex CXII centuriis (tot enim reliquae sunt) equitum X solae cum sex suffragiis si accesserunt etc.

quod num probari possit ipse videat. Fortasse haec est praeferenda lectio, quae eosdem habet numeros, qui reperiuntur apud Zachariaeum

ut cum sex suffragiis prima classis addita c. q. a. s. u. u. f. t. e. d. LXXXVII centurias habeat: quibus ex CVI centuriis (tot enim reliquae sunt) equitum X solae si access.

Facile fieri potuit, ut librarius negligentia CIV pro CVI scriberet. Alius autem, qui numeros expedire non posset neque equites a VI suffragiis separandos esse existimaret, numeris mutatis coniunxit equites cum sex suffragiis. Sed cum iam nimis coniecturarum lusui indulsisse videamur, misso hoc loco ad alios nos convertimus.

Digitized by Google

DE NATVRA DEORVM I, 10, 25.

Thales enim Milesius, qui primus de talibus rebus quaesivit, aquam dixit esse initium rerum, deum autem eam mentem, quae ex aqua cuncta fingeret. ***S i dii possunt esse sine sensu et mente, cur aquae adiunxit, si ipsa mens constare potest vacans corpore?***

Corrupta esse ultima haec verba neminem interpretum adhuc fugit. Tantum vero abest, ut tot virorum de Cicerone egregie meritorum opera expeditus sit hic locus, ut ne Orellii quidem emendatione ad liquidum sit perductus. Quae ne temere et arroganter dixisse videar, superiorum qui h. l. et emendarunt et interpretati sunt sententias perstringam, si paucis antea demonstravero, librorum scripturam esse eam, quae non modo non probari sed ne intelligi quidem possit. Totius capitis ratio haec est, ut Velleius, qui philosophorum de deo sententias recensere se velle dixerat, ab ultimo initium capiat, Thaletem dico. Cuius sententiam omnibus notam postquam paucis proposuerat, paucioribus refellit *si dii possunt esse sine sensu et mente, cur aquae adiunxit, si ipsa mens constare potest vacans corpore?* Iam vero singularem nec sine offensione esse refutationem, quae refellat aliud, quam quod propositum sit, nemo negabit. Quod cadit in n. l., ubi quo pacto dicere possit Velleius *si dii possunt esse sine sensu et mente*, haud facile quisquam inveniat. Talia quominus proponeret, cum Thaletis sententia modo expressa, deum esse mentem, tum omnium

hominum consensio, deum sine mente cogitari non posse, prohibere debuit. Accedit aliud, explicatio per epexegesin quam vocant *si ipsa mens constare potest vacans corpore.* Non desunt quidem exempla epexegeseos, qualia ab Heindorfio ad h. l. et III, 36, 87 afferuntur, sed plane aliter comparata sunt, quam hic noster locus. Protaseos enim explicatio per epexegesin nullo modo addi potest, nisi scriptor priora non satis intellecta in sequentibus explicanda esse existimet, aut si cum vi quadam singulari, ut contrarium fortius opponatur, sententiam iteret, id quod factum est locis ab Heindorfio laudatis. Nostro autem loco neque explicationis neque maioris momenti causa addita esse videntur *si ipsa mens constare potest vacans corpore*, cum utrumque altero omisso bene intelligatur. Fuerunt tamen, qui vulgatam defendere conarentur, ut Meiners (hist. doctrin. de vero deo pag. 255. 257). Putabat enim, Ciceronem Epicureos contra historiam et sine ratione fecisse disputantes, quo imperitos et calumniantes eos esse demonstraret. Quod quidem sane factum est, cum Cicero Epicureos sua demonstrantes proponeret, ubi sibi non constarent saepissimeque aliorum sententias haud recte explicarent; factum esse, cum de philosophis superioribus iudicarent, quorum sententiam modo protulissent, mihi persuadere non possum. Talia si proposuisset, legentes ne aut imperitiae aut ineptiae ipsum arguerent verendum erat Ciceroni.

Quae cum ita sint, quod latet h. l. ulcus priusquam indagemus, videamus viros DD., quomodo huic loco succurrerint. Ante Lambinum de scripturae integritate nemo dubitasse videtur, hic autem partim coniectura ductus, partim antiquae scripturae vestigia secutus *si dii possunt esse sine sensu, cur mentem aquae, cur aquam menti adiunxit* rell. dedit, cuius emendationis intellectum rectum esse quis non videt, verba ita a Cicerone profecta esse cuinam persuadeat? (Orellius contra morem suum non satis accurate hanc Lambini esse lectionem adnotavit:

Digitized by Google

cur mentem aquae.) Quam coniecturam ut ad librorum scripturam accommodaret, verbis nonnullis resectis scripsit Davisius *mentem cur aquae*, quae quo melius caderent sic collocari iussit Heindorfius *cur aquae mentem*, de quibus coniecturis non multis opus est disputare. Probabiles sunt quod ad sententiam attinet; quod ad verba, offendimus primum in epexegesi illa, deinde in deleto *et*, denique in audaciore vocabulorum *mentem cur aquae* transpositione. I. A. Ernestius (cf. Programma de locis aliquot e Cic. Lips. 1737. p. 7 sqq. Opusc. varii argum. a Stangio edit. p. 270), quem secuti sunt Kindervaterus, Moserus, Nobbius, pro vulgato *mente* edidit *motu*, cum Velleius respiciat ad Epicureorum opinionem, qua Dii mentesque humanae ex materia constent et sensus sint ex motu. Explicat igitur Ernestius: male facere Thaletem, cum menti divinae eique incorporeae aquam adiungat, quam illa sentire non possit, quia sit sine motu, qui in solum corpus cadat. Accuratius autem inspicienti plura occurrent, quae ingeniosam Ernestii coniecturam evertant. Concedamus, quod an non concedi possit dubito, tam duriter et obscure dici posse *cur aquae adiunxit* sc. *mentem*, in quibus legendis haereas, utrum ex praegressis *sensum et motum*, an ex sequentibus *mentem* supplendum sit: sententia tamen obstat, quominus Ernestium sequamur. Nam Velleius cum Thaletem deo aquam adiungentem refellit, eum non reprehendit propterea quod deus non sentiat aquam, sed quod non opus sit deo adiungere aquam, si deus sine corpore esse possit. Haec ait: cur aquae mentem adiunxerit Thales non video, cum deus sine sensu (i. e. sine corpore) et mens sine corpore esse possit? Motus cur mentionem faceret, non erat causa.

Neque magis probare possum C. Beieri coniecturam ad Offic. I, 14, 44. (Tom. I p. 111) propositam *sic dii possunt esse sine sensu: et menti cur aquam* rell. Sententia, quam nisi verba iungendique ratio repugnarent, accipere non dubitarem, fere haec est: ita si statuit

Thales, primum eo peccat, quod deos fingit sensu carentes, deinde vero quod sibi non constat, nam deum mentem esse dicit, quae sine corpore vivere possit, et nihilominus corpus adiicit. Alterum vero membrum per *et* inepte adnectitur, quod a Cicerone, egregio orationis artifice, profectum esse vix est qui credat. Neque *menti cur aquam* probari potest, cum in vocabulis *aquae* et *mente*, quod cum *mentem* facile commutari potuit, defendendis omnes consentiant codices. Quare non dubito, quin rectius sit, neque prius *si* mutare, neque alterum ab altero distinguere, praesertim cum utrumque membrum idem fere demonstret. Illam autem coniunctionem ineptam esse Moserus bene intellexit, qui sic reponi iussit *sic dii possunt esse sine sensu. At mentem cur aquae* rell.

Sequitur Orellius, qui plane aliam ingressus est viam, vocabulum *dii* e perverso glossemate ortum, cetera sana esse censens. Deleto vero *dii* hanc proposuit explicationem: si (cuncta i. e. reliquae naturae omnes) possunt esse sine sensu et mente, cur aquae soli sensum et mentem adiunxit, cum praesertim ea mens, quam sibi fingit Thales, constare possit vacans corpore? quae quanto opere ab h. l. aliena sit paucis demonstrabo. Ineptam esse hanc Velleii interrogationem nullamque continere refutationem, quisque facile videt, qui meminerit, cuncta reliqua cum ex aqua ficta sint, mente non esse praedita, aquam autem, ex qua omnia fingantur, mente indigere. Nam praeter aquam nihil fuit et sine aqua ne reliqua quidem essent. *Cuncta* igitur nullo modo suppleri potest. Atque etiam ut suppleri posse ponamus, aliud est, quod quominus Orellii coniecturam accipiamus obstat, cum *cuncta sine sensu esse* nequaquam dici possit. Sensus enim cum a corpore distingui nequeant, a cunctis reliquis naturis, quae nihil sunt nisi corpora, nullo modo sunt seiungendi.

Iam cum superiorum neque coniecturae neque explicationes satisfaciant, etiam meam de h. l. sententiam in me-

Digitized by Google

dium proferre non dubito, quae cum omnes Ciceronis de natura deorum libri mss. ex uno fonte originem duxerint, fortasse habet quibus commendetur. Veram enim antiquissimique codicis scripturam hanc fuisse coniicio

si dii possunt esse sine sensu et si ipsa mens constare potest vacans corpore mentē cur aquae adiunxit?

Librarius qui hoc exemplar describeret, vocula *si* quae duorum versuum initio occurreret, in errorem inductus, oculis aberravit a prima linea ad tertiam eamque post primum collocavit versum: quod cum animadvertisset, secundum post tertium intrusit. Alius autem, qui post hunc ad hos libros accederet, *mentē* corruptum esse existimans, *mente* scripsit, ad nihil respiciens nisi ad v. *sine* praecedens, quod ut cum reliquis congrueret *mente* posuit. Sic difficultates ex v. *et* et *mente* et epexegesi illa profectae evanescunt, ita ut ne una quidem litterula mutata talem habeamus intellectum, qualis h. l. desideratur. Velleius enim sic disputat: Thales cum dicat, deum esse mentem (das bewegende Princip), neque corpus neque sensum ei tribuit. Sed sibi non constat, nam aquam deo adiiciens, cum hoc corpore etiam sensum adiiciat necesse est. Recte igitur respondet Velleius *si dii possunt esse sine sensu* (mens enim sine corpore constare potest, sublato autem corpore etiam sensus tollitur) *et si ipsa mens* (dieses bewegende Princip selbst) *constare potest vacans corpore*, *mentem cur aquae adiunxit* (cur aquam adiecit necessitate non cogente, praesertim cum nunc sensus accipiat deus). Summa haec est: aquae mentem tribuere non debebat Thales, cum ex ipsius sententia deus sine sensu esse posset neque mens corpore in quo habitaret indigeret.

Digitized by Google

ACADEMICORVM POST. I, 1, 2.

Silent enim diutius Musae Varronis, quam solebant: nec tamen istum cessare, sed celare quae scribat existimo. Minime vero, inquit ille: intemperantis enim arbitror esse, scribere quod occultare velit; sed habeo opus magnum in manibus, quod iam pridem ad hunc ipsum (me autem dicebat) quaedam institui, quae et sunt magna sane et limantur a me politius.

Codices omnes habent *hunc eum ipsum*, Manutius Lambinus Davisius Ernestius *eum* delendum esse censuerunt, quos secutus est Orellius, neque probavit Goerenzium V. Cl., qui *hunc eum ipsum* defendere conatus erat. Is enim hanc posuit regulam, conduplicari auctori pronomina solere in locis quae δεικτικῶς dicantur, quam ut confirmaret adduxit locum ex Cic. de offic. II, 3, 9 *hoc autem de quo nunc agimus, id ipsum est*, ubi Beiero monente (Offic. Tom. II, p. 21) non est cogitandum de coniunctione pronominum *hoc id ipsum*, cum *hoc* subiecti, *id ipsum* autem praedicati loco sit positum. Neque alterum quem attulit locum recte intellexit Goerenzius Tusc. V, 9, 26 *nisi idem hoc ipsum ad voluptatem referret*, ubi *idem hoc ipsum* nullo modo coniungenda erant, cum *idem* subiectum sit ad *referret* pertinens. Videmus igitur, in talibus locis quanta cautione opus sit, ne quid in linguam inferamus, quod plane alienum est. Quare cum neque locus reperiatur, quo talem pronominum compositionem defendamus, neque ratione probari possit hic usus, etiam h. l. de codicum lectione recipienda cogitari non potest nec verbum quidem de hac Goerenzii defensione addidissem, nisi alios ei assensos esse vidissem, in quorum numero nollem versari Moserum, Virum de Cicerone meritissimum. Is enim (ad Cic. de republ. I, 2) quominus Goerenzii illius lectionis defensionem egregiam praedicaret, se non continuit. Verum tamen pronomen *eum* temere eiiciendum esse non statuerim, cum verisimile non sit, librarium tam in-

Digitized by Google

eptum fuisse, ut *eum* explicationis causa ad *ipsum* addiderit. Equidem ut quid sentiam ingenue fatear, in verbis *ad hunc eum ipsum* corruptelam deprehendere mihi videor. Nam praeter ineptam illam pronominum copiam accedit aliud, quod sententiae meae faveat, tautologiam dico, quae evadit ex verbis *habeo opus magnum in manibus* et *quod quaedam institui quae et sunt magna sane* etc. Quid si coniiciamus *quod iam pridem ad hunc scripsi, quaedam institui*, ita ut *quod* sit coniunctio, *institui* autem pro infinitivo accipiatur. Varro enim dicit: magnum opus (libri de lingua latina) est in manibus, nam iam pridem scripsi ad Ciceronem, magna quaedam instituí rell. Quod ad historiam atque temporis rationem, nihil est, quod huic coniecturae obstet, nam iam pridem Varro Ciceroni indicaverat, se ei partem operis de lingua latina missurum esse, quod apparet ex Epist. ad Attic. XIII, 12, ubi haec leguntur: *Postea autem quam haec coepi φιλολογώτερα, iam Varro mihi denuntiaverat magnam sane et gravem προσφώνησιν. Biennium praeteriit, cum ille Καλλιππίδης assiduo cursu cubitum nullum processerit. Ego autem me parabam ad id quod ille mihi misisset, ut αὐτῷ τῷ μέτρῳ καὶ λώϊον si modo potuissem. — Ergo illam Ἀκαδημαϊκὴν, in qua homines nobiles illi quidem, sed nullo modo philologi — ad Varronem transferamus.* Haec epistola scripta est a. u. 709, eodem anno, quo Academicae, ita ut voces illae *biennium praeteriit* et *indicaverat* Varronem a. u. 707 de opere suo scripsisse Ciceroni aperte demonstrent. Accedit quod deleto *eum*, ne *hunc ipsum* quidem recte habet, quibus vis inest ab h. l. plane aliena.

Restat ut quomodo corruptela oriri potuerit paucis indicemus. Omnes quos habemus Academicorum libros mss., cum iisdem in locis interpolationes et corruptelas prae se ferant, ex uno eodemque depravato gravibusque mendis laborante codice originem duxisse veri simile videtur esse. Quid si librarius illud exemplar describens nostro loco expresse scripta legebat AD HUNC, sequen-

Digitized by Google

tium autem litterarum nonnisi IPS certas esse videbat — SCR obscuratae erant —, nonne veri simile est, eum pro viribus suis ex his vestigiis veram lectionem restituere conatum esse, atque EUM IPSUM dedisse pro SCRIPS̄. Neque ille pro temporis quo vixit ratione loquendi pronominibus *hunc eum ipsum* offensus est. Hoc veri similius esse crediderim, quam librarium *eum* ad *ipsum* scripsisse statuere. Negari quidem non potest, pronomen *is* ante *ipse* a scribis addi solere, quod observavit Goerenzius ad Fin. II, 28, 93, id tamen factum esse, si *hic* praecederet, persuadere mihi non possum. Qua de causa aliam viam ingressus hanc qualemcunque coniecturam emittere non dubitavi, cui fore qui assentiantur eo confidentius spero, cum Reisigium quoque in scholis privatis de huius loci integritate dubitasse et simili eum coniectura sanasse narraverit amicus, quocum haec communicassem.

ACADEMICORVM PRIOR. II, 21, 67.

Si ulli rei sapiens assentietur unquam, aliquando etiam opinabitur: nunquam autem opinabitur: nulli igitur rei assentietur. Hanc conclusionem Arcesilas probabat: confirmabat enim et primum et secundum. Carneades nonnunquam secundum illud dabat: assentiri aliquando. Ita sequebatur etiam opinari: quod tu non vis, et recte, ut mihi videris. Sed illud primum, sapientem si assensurus esset, etiam opinaturum, falsum esse et Stoici dicunt et eorum adstipulator Antiochus.

Consentiunt omnes editores in defendenda vulgata *nonnunquam*, praeter Goerenzium, qui ex fragm. cod. (e saec. XII.) *nunquam* scripsit atque tantum abest, ut Orellio vulgatam defendenti „sed in toto hoc loco *primum* manifesto significat *opinari*, *secundum* autem *assentiri*" subscribam, ut Goerenzii lectionem et explicationem recipere non dubitem. Plane aliud manifestum est,

quod maiore iure potest contendi, conclusionem quae tum in antecedentibus, tum in sequentibus inest, etiam his verbis *Carneades nonnunquam secundum* etc. significari. Nemo puto demonstrabit, in illis quae praecesserunt *hanc conclusionem Arcesilas probabat: confirmabat enim et primum et secundum* et in illis quae sequuntur *sed illud primum* — *Antiochus* conclusionis primam alteramque partem non contineri. Quae cum ita sint, num credi potest, auctorem repente mutare significationem horum verborum, ita ut *Carneades nonnunquam* — *aliquando* alia accipienda sint notione: num credi potest, in sequentibus verbis *sed illud primum* etc. ad primam respici posse sententiam? Quae ut fieri potuerint, quae haud scio an numquam fieri possint, aliud restat longe molestius, quod urgere debebat Goerenzius, ineptam dico eiusdem sententiae repetitionem. Videat aliquis, quo pacto haec ferenda sint: *nonnunquam secundum illud* scil. assentiri *dabat*, cum sequatur *assentiri aliquando*. Qua quidem tautologia non vidi ineptiorem.

Quodsi vero sequamur Goerenzium docte de h. l. disputantem, recte se habebunt omnia. *Carneades nunquam secundum illud dabat* i. e. nunquam concedebat, sapientem nunquam opinari, sed dicebat *assentiri aliquando*. Cum quibus recte cohaerent quae sequuntur *ita sequebatur etiam opinari*. Nam si quis concedit, sapientem assentiri aliquando, etiam opinari concedat necesse est. Habes Carneadis sententiam, quae multis Ciceronis locis confirmatur. Goerenzius conferri iubet 18, 59. 48, 148. quibus addo 35, 112. 113. Nemo igitur amplius dubitabit neque de Carneadis sententia, neque de lectione *nunquam* in textum revocanda. Codices quidem omnes praeter unum vulgatam tuentur, sed in his eorum auctoritas nulla est, nam qui vel admodum modice versatus est in codicum scribendi ratione, eum non fugit, *nonnunquam* et *nunquam* eodem fere modo esse scripta, ita ut quae saepius commutentur vix reperiantur particulae.

Digitized by Google

DE DIVINAT. II, 54, 111. 112.

Non esse autem illud carmen furentis, quum ipsum poëma declarat (est enim magis artis et diligentiae, quam incitationis et motus), tum vero ea quae ἀκροστιχὶς dicitur, quum deinceps ex primis versuum litteris aliquid connectitur, ut in quibusdam Ennianis Q. ENNIUS FECIT. Id certe magis est attenti animi, quam furentis. Atque in Sibyllinis ex primo versu cuiusque sententiae primis litteris illius sententiae carmen omne praetexitur. Hoc scriptoris est, non furentis: adhibentis diligentiam, non insani.

Cum primum ad h. l. accessissem, non potui non habere interpolatum ac Frenzelii V. Venerandi, quem Magistri et Fautoris nomine a prima pueritia utrum magis coluerim an dilexerim dicere non possum, cui eiusdem sententiae repetitione nil ingratius esse et *Atque — insani* delendum videbatur, suspicionem admodum probavi, neque nunc contradico, si Aurati lectionem sequamur. Accuratius autem lectiones examinanti difficultates evanuerunt Orelliique lectione quam codices plerique confirmant recepta omnia bene procedere videbantur. Attendendum est enim ad verba ἀκροστιχὶς — *aliquid connectitur*, quae qualis sit ἀκροστιχὶς apud plerosque occurrens accurate explicant. In secundo autem membro *Atque* etc. transitur ad Sibyllinorum ἀκροστιχίδα, quod apparet ex vocabulo *atque*, quo utuntur veteres, si quod praecessit accuratius definire in animo habent (cf. Grysar Theorie des lat. Stils p. 499.). Quod si vero sequamur Aurati lectionem *ex primis versuum cuiusque sententiae litteris* (quod vocabulum omiserunt operae in textu Orelliano) *illius sententiae* etc. quam recepit Hottingerus hanc addens explicationem „primis versuum singulorum litteris, si deinceps legantur, totius sententiae s. oraculi carmen i. e. argumentum contineri“ et Giesius, nuperrimus horum librorum editor, fateor me huius dicendi generis, quod ineptam prae se ferat tautologiam, neque

apud Ciceronem neque apud ullum veterum reperisse exempla et inveniri posse nego, ita ut de recipienda hac lectione non amplius sit cogitandum.

Redeamus igitur ad alteram (sc. Orellii) lectionem, quam a Ciceronis manu profectam esse non dubito, neque Orellio, cui corrupta haec verba, certa autem medela nondum esse reperta videtur, subscribo. Ciceronem enim sic versatum esse existimo, ut cum supra indicasset, quid esset ἀκροστιχὶς et quaenam apud plerosque reperiretur, nunc qualis deprehenderetur in Sibyllinis accuratius describeret, quam eiusmodi fuisse animum induxi, ut litterae initiales priorum verborum in eo versu qui novam inciperet sententiam, effecerint verbum, quod quid inesset in illo versu breviter indicaret. Exempla sunt in promptu, memini enim aenigma illud, quod iam laudavit G. F. Grotefendius (Grammat. lat. Tom. II, p. 89.)

Si iungatur *E*quo *B*riareus, *R*ana, *I*bis, *E*chinus,
*T*aurus, *A*per, *S*atyrus; quid fieri inde putas?
Monstrum, quo toto nihil est deformius orbe,
Deliciae iuvenum deliciaeque senum.

At haec non Sibyllina sunt, fortasse clamabunt — sed ne illa quidem, quae Sibyllae nomine circumferuntur Acrosticha apud Euseb. Orat. Constantin. c. 18. a Sibylla originem duxerunt, ita ut neutrum genus certis probari possit exemplis. Haec ratio si probatur, existimandum est, Viros DD. cum ἀκροστιχίδα qualis esset non intellexissent, hunc locum turbasse, codicibus in defendenda Orellii lectione ad unum fere consentientibus.

Ex Ernestii autem disputatione plane inutilia sunt verba *ex primo versu cuiusque sententiae*, cum iam per se pateat, inde a primo versu ad finem usque litteras esse componendas, quo exprimatur totius carminis argumentum. Neque Maieri Pearcium sequentis explicatio potest probari, cum Ciceronis verba plane alium et diversum praebeant intellectum et ne unum quidem illius ridiculi lusus afferri possit exemplum.

DE LEGIBVS I, 14, 40.

Quod si poena, si metus supplicii, non ipsa turpitudo deterret ab iniuriosa facinorosaque vita: nemo est iniustus; aut incauti potius habendi sunt improbi.

H. l. mirum videtur Madvigio (Emendatt. Tullian. p. 11) Goerenzium et Moserum — quos secutus est Ochsnerus (Eclog. p. 89 ed. III.) — ironici quid in particula *aut* inesse statuere, multoque magis mirum, *incauti* subiecti loco habere. Utrumque recte reprehendit, neque illorum explicationem: aut nemo omnino iniustus est, aut is qui incautum se praebet, talis censebitur, defendere in animo habeo, sed aliud miror, quod Orellius Madvigium *atque* pro *aut* coniicientem non modo non improbaverit, sed dignam quae reciperetur emendationem existimaverit. Nescio quomodo fieri potuerit, ut hi Viri DD. non attenderint ad usum illum *aut* particulae nunc satis explicatum ab Handio ad Tursell. I, p. 539. quo declaratur, scriptorem se corrigere et rem exactius definire. Plane respondet nostro: oder vielmehr. Noster autem locus sic explicandus est: si turpitudo supplicii metu fugiatur neque natura, nemo est improbus, quid dico improbus, incautus potius est dicendus, ut qui in legum poenam et supplicii periculum incurrere non dubitet. Cum hoc usu recte comparari possunt exempla, ubi *aut* gradationi inservit, apud Beierum ad Cic. de off. III, 13, 54. etc. Grysar Theorie des latein. Stils p. 504. Orellii suspicione *aut* plane esse delendum nihil efficitur, neque credi potest, particulam quam hac quidem sententia haud frequenter posuerunt scriptores, a librario esse inculcatam.

Digitized by Google

DE LEGIBVS I, 15, 42.

Quod si iustitia est obtemperatio scriptis legibus institutisque populorum, et si ut iidem dicunt, utilitate omnia metienda sunt, negliget leges easque perrumpet, si poterit, is qui sibi eam rem fructuosam putabit fore. Ita fit ut nulla sit omnino iustitia; si neque natura est, eaque quae propter utilitatem constituitur, utilitate alia convellitur.

Superiore loco quae dixeram etiam in hunc quadrant; Madvigius enim (Emendatt. Tull. p. 14) recte quidem reprehendit Goerenzium, ipse vero proposuit lectionem explicationemque talem, qualem nulli legentium persuadebit. Si quid video, codicum lectio *illa convellitur*, quam reiecerunt Madvigius et qui eum secutus est Orellius, recte habet, dummodo aliter explicemus, quam fecit Goerenzius. Hic enim reprehendens Victorium *illa* delentem, hanc proposuit explicationem: *eaque* iustitia, *quae propter utilitatem* hanc suam, qua omnia metiuntur, ab iis *constituitur, utilitate illa*, quae natura est, *convellitur* i. e. nulla esse convincitur. Quae ita disputata sunt, ut Madvigius ex Goerenzio recte quaerere possit: primum, quaenam hic sit duplex utilitas et ubi memorata, deinde quaenam sit ista naturâ utilitas, aut quid sibi velit? Quae vero deinde disputat Madvigius, *alia* defendens, non dubito quin falsa sint. Sententia quidem, quam voluit inesse in his verbis recte se habet: utilitatem esse alio tempore aliam nec eandem omnium hominum, ut utilitas ipsa ab alia utilitate vincatur eaque maiore, sed proprie non inest in Ciceronis verbis. Tota controversia in eo posita est, ut inquiramus, cur Cicero hanc enuntiationem *ita fit* — *convellitur* annexuerit, utrum notionem iustitiae per utilitatem constitutae generaliter et ut ita dicam universe circumscribat, an singula definire pergat. In antecedentibus *si utilitate omnia* — *fore* de singulis locutus est, in sequentibus autem *ita fit* rell. nonne mentem a singulis ad universum avocans in totum loquitur? Et annectens *si natura con-*

Digitized by Google

firmatura ius non erit etc. nonne eadem ratione universe exponere pergit? Ponamus Ciceronem pergere exponerem singula in verbis *ita fit* — *utilitate convellitur:* nonne idem significarent quod illa quae iam supra enuntiaverat? Quam languida sunt: iustitia quae neque natura est etc. utilitate *alia* convellitur, i. e. hanc iustitiam labefactat alia utilitas, quae in vita occurrit (alia quidem quam generalis illa); contra si *illa* servamus, optime procedunt omnia: iustitia convellitur illa ipsa utilitate propter quam constituta est. Haec tam clara sunt, ut codicum auctoritatem in auxilium vocare non opus sit.

Sequantur loci aliquot, ubi cum Orellio potissimum est pugnandum. Cuius quidem Viri, cuius merita tanta sunt, ut in omnium ore versentur, tantum abest, ut ignorem, ut summis laudibus ea efferre eiusque beneficia in omnes Ciceronis cultores grata mente agnoscere non dubitem. Is enim est, qui non modo omnium, qui in Cicerone edendo et emendando posuerunt laborem, magna cum diligentia prudentique delectu collegerit lectiones, verum etiam ipse protulerit satis multa, quae digna sunt eius nomine et doctrina, digna quae celebrentur a VV. DD.

Sed tamen, quod in tanto opere vix aliter fieri potuit, magna locorum est copia, ubi ab eo discedendum est, tum ubi nimia audacia de locorum integritate dubitavit proposuitque coniecturas, quas vix cuiquam persuadebit, tum ubi maiore religione vulgatam, quae nullum praebet intellectum, nimis anxie defendit. Alterum iam vidimus illo, quem tractavimus loco de Republ. II, 22, alterum autem ne aut temere aut maligne dixisse videamur, paucis adhuc probandum est exemplis. Plurium enim locorum, quos aut emendationibus minus necessariis, aut suspicionibus parum iustis vexasse videtur, integritatem ostendere in animo habeo.

Digitized by Google

Primus autem locus, quem iniuria ab ipso tentatum esse contendo, reperitur

ACADEMICORVM PRIOR. II, 35, 113.

Quaero enim quid sit quod comprehendi possit. Respondet mihi non Aristoteles aut Theophrastus; ne Xenocrates quidem, aut Polemo; sed qui minor etiam; tale verum, quale falsum esse non possit.

In exemplari Orelliano reperitur Goerenzii coniectura *sed qui minor etiam*, quae multa habet quibus commendetur, praesertim cum fragmento codicis melioris notae defendatur *sed qui minor et iam* praebentis. In addendis autem ad hunc librum (p. 60.) Orellius sententia mutata in istis verbis nomen aliquod proprium, v. c. *Clitomachum*, vel simile quid latere censet. Quae coniectura ut defendi possit vehementer vereor. Primum quidem si nomen proprium latet in his verbis, profecto mirum est, si codices ne vestigia quidem servarunt, nam variant quidem, neque tamen ita ut de alio verbo reponendo cogitare possimus, cum quomodo orta sit illa scripturae varietas facile demonstrari possit. Vocabulum *minor* cum omnes praebeant libri mss., certum est atque integrum, pro *etiam* alii *est*, quae in compendiis facile commutari potuerunt, neque *mihi* et *nihilo* tam diversa sunt, quin ex prima syllaba vocis *minor* orta esse censere possimus. Cum igitur litterae nominis proprii vestigia non habeant, nescio an aptissimum sit, si Ciceronem auctoris nomen minus invidiosius silentio praeterire voluisse statuamus. Deinde quod attinet ad nomen *Clitomachi*, minime probanda est haec coniectura. Cicero enim neque Clitomachum, neque alium quendam novae Academiae in mente habet, quintae potius Academiae, quae per Stoicorum sententiam magnam acceperat mutationem, aliquem significans. Quinta enim est, de qua in sequentibus aperte loquitur: *ut omittam alia: haec duo de quibus agitur, quis unquam dixit aut veteris Academiae, aut Peripateticorum, vel id solum percipi posse,*

quod esset verum tale, quale falsum esse non posset, vel sapientem nihil opinari? Certe nemo. Horum neutrum ante Zenonem magno opere defensum est. De Clitomacho igitur, qui cum Stoicis ne minimam quidem habeat coniunctionem, nullo modo cogitari potest: Antiochum in mente habuit Cicero, quem cur non appellaverit, ex sequentibus perspicitur *vel quod amavi hominem, sicut ille me* etc. Is erat, qui *τὴν στοὰν μετήγαγεν εἰς τὴν Ἀκαδημίαν*, is erat qui quid comprehendi posset, quaerenti primus responderet: tale verum quale falsum esse non potest. Itaque usque dum nova reperiantur adiumenta, quibus de h. l. iudicari possit, Goerenzii lectionem servandam esse censeo.

Alia Orellii coniectura huic non praeferenda nobis occurrit

DE REPVBL. I, 38, 59.

Ergo Archytas iracundiam, videlicet dissidentem a ratione, seditionem quandam animi [*vere*] *ducebat; eam consilio sedari volebat. Adde avaritiam, adde imperii, adde gloriae cupiditatem, adde libidines; et illud vides, in animis hominum regale si imperium sit, unius fore dominatum, consilii scilicet! — ea est enim animi pars optima: — consilio autem dominante nullum esse libidinibus, nullum irae, nullum temeritati locum.*

Haec leguntur in textu Orelliano, aliam autem coniecturam satisque miram proposuit in Anall. (Tom. IV. P. II p. 595) *seditionem quandam ab animo irae ducebat*, in qua plus quam semel lapsus est; primum enim quisnam dixit salvo linguae usu seditionem ab aliqua re? deinde quomodo pro *consilio* et *ratione animum* ponere potuit Orellius, cum quae sequantur aperte demonstrent, consilium animi esse partem, neque pro animo poni posse? Huc accedit quod Orellius discrimen inter *ira* et *iracundia*, quod Cicero pluribus locis explicavit, non respexit. Ne collocatio quidem verborum ea est, quae a Cicerone profecta esse videatur, a cuius scribendi ge-

Digitized by Google

nere talia sunt aliena. Utinam reputasset Orellius doctam Reisigii annotationem ad h. l. (Edit. Halens. pag. 361), qua *vere ducebat* recte scribi demonstrasse ita videtur, ut dubitari amplius nequeat.

Ventum est eo ut de locis aliquot, quos vocabulis delendis facillimo emendandi genere usus sanare voluit Orellius, breviter disseramus. Accuratius autem eos inspicienti, quin vera sit codicum scriptura, non est dubium, quod Orellius ipse iam intellexisse videtur, cum in editione singulari librorum Orat. Top. vocabula, quae in editione maiore uncis incluserat, a glossematum suspicione nunc liberaverit.

DE REPVBL. I, 31, 47.

Quî autem aequa potest esse (libertas)? *omitto dicere in regno, ubi ne obscura quidem est aut dubia servitus; sed in istis civitatibus, in quibus verbo sunt liberi omnes; ferunt enim suffragia, mandant imperia, magistratus; ambiuntur, rogantur; sed ea dant magis, quae etiam si nolint danda sint, et quae ipsi non habent, unde alii petunt: sunt enim expertes imperii, consilii publici* etc.

Orellius (Vol. IV. P. II. p. 594. Anall.) virgula post *dant* posita *quae* delendum censet et explicationem addit, quae non modo huius loci rationi repugnat, cum non dicatur, eo magis esse dandum, quo magis nolint, sed omnino ne cogitari quidem potest, nam quomodo fieri potest, ut aliquid eo magis mihi dandum sit, quo minus dare volo et habeo? Me haec non intelligere libere fateor et num aliis clariora fuerint vehementer dubito. Locus nullas habet difficultates; attendamus modo animum ad finem quo sententia dicatur a Cicerone. Nihil aliud autem probare vult, quam quod eiusdem libri cap. 27, 43 significaverat *et in optimatium dominatu vix particeps libertatis potest esse multitudo, cum omni consilio communi ac potestate careat.* Speciem tantum esse libertatis indicat his verbis: *sed ea dant* etc. quae sic

Digitized by Google

intelligenda sunt: omnes mandant magistratus, imperia, quae cum dant, non dant ea quae dari solent a rogatis (i. e. quorum participes sunt rogati et quae dare volunt), sed ea dant, quae non habent, ea dant, quae denegare non possunt, quae dare debent —, nam sine magistratibus vivere non possunt. Verbo igitur liberi sunt, sed expertes imperii etc. Quae explicatio si probatur, neque coacta illa *magis etiam* inversione opus est, neque *quae* delendum, quo deleto ellipsis evadit iusto maior.

DE REPVBL. I, 8, 13.

Quibus de rebus, quoniam nobis contigit, ut iidem et in gerenda re publica aliquid essemus memoria dignum consecuti, et in explicandis rationibus rerum civilium quandam facultatem non modo usu, sed etiam studio discendi et docendi [*essemus auctores*]*;* rell.

Ne h. quidem l. facillima medela *essemus auctores* uncis includendi tam temere uti debebat Orellius, cum cur librarius haec verba h. l. intruserit, ratio probabilis reddi nequeat. Librarii cum tales pannos assuerent, aut anacoluthis succurrere aut ellipses explere voluerunt, cuius generis h. l. nihil reperitur. Aptissimum vero est nisi fallor si cum plerisque interpretum —, reliquorum enim conatus omitto —, in corrupto *auctores* verbum aliquod latere putemus, ita ut, donec certior reperiatur medela, *adepti*, *assecuti* aut tale quid sit legendum. Putidam autem orationem praeter Orellium nemo videbit.

DE LEGIBVS I, 7, 23.

Quibus autem haec (ratio, lex, ius) *sunt inter eos communia, civitatis eiusdem habendi sunt.*

Cuius enuntiationis pronomen relativum cum demonstrativo coniunctum incredibili modo vexavit interpretes multique VV. DD. de emendatione cogitarunt. Davisius coniecit *inter ipsos*, Wagnerus *inter se*, Moserus et Orellius *inter eos* quod lectionis monstrum vocant uncis incluserunt, has voces ex linea praecedente male

repetitas esse a librariis existimantes. De demonstrativo autem pro reciproco posito cogitarunt Perizonius (ad Sanctii Minervam T. II, 12, 3.) et Goerenzius, qui quomodo conferre potuerit locum ex libro de orat. I, 54 plane non video. Quorum quidem neminem verum vidisse cum quisque facile intelligat, eorum conatus non opus est refellere. Quid vero? Nonne omnia optime procedunt, si *quibus* hypotheticam tantum notionem habere accipiamus, ita ut coniunctionis arctioris et soni plenioris causa dictum sit pro *si haec inter eos sunt communia.* Pronomen relativum coniunctionem quandam praeter demonstrationem continere quis est qui nesciat? H. l. vero coniunctio hypothetica potior est demonstrativo, quod quidem inest in relativo, hic autem plane obscuratur. Quod nemo mirabitur, qui meminerit eodem fere modo usurpari *quodsi* significatione hypothetica, demonstratione plane obscurata.

Ut in his locis Orellius iniuria glossemata reperisse videtur, ita non possumus non in diversam ab ipso abire sententiam

ACADEMICORVM PRIOR. II, 18, 58.

Nihil enim magis assentiri potest, hoc illud esse, quam si inter illa omnino nihil interesset.

Ubi miramur Orellium *quam* delendum esse censentem. Recte quidem observarunt VV. DD., scribas saepius post comparativos absolute positos *quam* desiderasse suoque more addidisse, h. l. tamen simplex *si* probari non potest, cum totius loci perverteretur sententia, quod apertius est, quam ut demonstrandum esse videatur. Neque codicum lectio recipienda est, cum sententia repugnet iis, quae modo ante dicta erant. Non modo ipsis contraria dicerent Stoici, sed quae sanae menti repugnarent. Ex Madvigii autem emendatione *quasi* pro *quam si*, quae mutatio fere nulla est, omnia bene intelliguntur: minime dici potest, hoc illud esse, quasi inter illa omnino nihil interesset. Quod fieri non

Digitized by Google

potest, *veri enim et falsi non modo cognitio scd etiam natura tolletur, si nihil erit, quod intersit.*

TVSCVLAN. DISPVTAT. V, 41, 119.

Quod si ii philosophi, quorum ea sententia est, ut virtus per se ipsa nihil valeat; omneque quod honestum nos et laudabile esse dicimus, id illi cassum quiddam et inani vocis sono decoratum esse dicant; et tamen semper beatum censent esse sapientem: quid tandem a Socrate et Platone profectis philosophis faciendum putes?

Vocabulum *et*, omnium codicum scripturam, ut anocoluthon vitarent, plerique interpretum plane deleruht, Orellius uncis inclusit, quod utrum recte factum sit necne videamus. Quem vero fugit, anacolutha apud Ciceronem haud rara esse, quem fugit haec non esse mutanda, licet per facilem mutationem fieri possit? Et hoc quidem loco nihil esse mutandum ex eo patet, quod hanc sententiam audientes neque anxie eam exigentes vocula *et* non offendimur: omnia bene procedunt et neque dicens haeret neque audiens. Contra si eam delemus, summa oritur inconcinnitas; primum non placet indicativus *censent*, cum non videamus, unde pendeat haec enuntiatio, deinde enuntiatio posterior *quid tandem* etc. obscuratur, putamus enim cum legentes ad *tamen semper* pervenerimus, nunc ordiri enuntiationem posteriorem et sic turbatur ordo. Denique interrogandum est, unde librarii contra omnem rationem adsumpserint *et*, delevisse illos nil mirum. Quae cum ita sint, antiquam lectionem *et tamen* servandam esse nullus dubito.

Omnino autem in anacoluthis expellendis Orellius iusto est severior, e. c.

DE OFFIC. III, 10, 45.

Damonem et Phintiam, Pythagoreos, ferunt hoc animo inter se fuisse, ut quum eorum alteri Dionysius tyrannus diem necis destinavisset et is qui morti addictus

Digitized by Google

esset, paucos sibi dies commendandorum suorum causa postulavisset, vas factus est alter eius sistendi, ut si ille non revertisset, moriendum esset ipsi.

Ad quem locum obelo notatum haec adnotavit „*ut* — *est* pro *ut* — *sit*, quod quidem ἀνακόλουθον magnam elegantiam nunc censent.“ Ubi tales reperiuntur constructiones, num aptam habeant excusationem quaerendum est. Hoc autem loco quomodo oriri potuerit constructionis mutatio apertum est, cum propter longum periodi ambitum se *ut* posuisse oblitus esset scriptor. Cf. Beierum ad h. l. (T. II pag. 260.) Hoc autem iure potest contendi, a librariis anacolutha in textus non esse illata, correcta si quis dicat, non repugno.

Digitized by Google

Digitized by Google